



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theodōritu Episkopu Kyru Kai Eyagriu Scholastiku
Ekklēsiastikē Istorya, Eklogai Apo Tōn Istoryōn
Philostorgiu Kai Theodōru**

Theodoreetus <Cyrrhensis>

Mogvntiae, 1679

Caput V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14162

epistola loquitur Petrus Cluniacensis. Dicet hic A fortassis aliquis, eas epistolas non ex Graeco in Latinum sermonem esse translatas; sed Graecas potius ex Latinis factas videri; ego vero in praesertiarum id non inquiero. Hoc tantum dico, et si epistolas illas demus ex Latino sermone in Graecum conversas esse, ne sic quidem à falsi nota & suspitione liberari. Nam que supraattulimus argumenta ad convincandam earum falsitatem, in utramque partem valent. Et hæc quidem adversus epistolas illas supra memoratas dicta sufficient. Nunc ad Synodos ipsas veniamus, Constantinopolitanam scilicet ac Romanam. Has Baronius cumque secutus Binius, aduersus Petrum Fullonem Antiochenum Episcopum collectas esse dicunt anno Christi 483. Consulatu Fausti viri clarissimi. Atqui Petrus Fullo eo anno nondum Antiochenam sedem invaserat. Nam Calendio per vim & calumniam depositus est anno sequente, qui sicut Christi 484. statimque in ejus locum Petrus est subrogatus, ut ex certissimis testimonio Felicis ac Gelasii Romanorum Pontificum superius ostendimus. Deinde quorundam Acacius Petrum Fullonem iterum daminare necesse habebat, quem Simplicii Papæ temporibus in Constantinopolitanâ Synodo jam ante damnaverat, ut supra demonstratum est ex epistola ipsius Acacii ad Simplicium Papam, & ex litteris Felicis Papæ ad universos Presbyteros & Archimandritas Constantinopolitani & per Bithyniam residentes. Quorundam item Felix necesse habebat, Petrum Fullonem sententia sua damnare, qui jam ante à Simplicio fuerat condemnatus? Quod si quis respondeat novum crimen Petri extitisse, ac proinde opus fuisse nova damnatione, nego novum ullum crimen admisum tunc esse à Petro Fullone. Clausula enim illa, qui crucifixus es pro nobis, diu ante annum Christi 483. & 484. à Petro Fullone adjecta fuerat Trifagio. Nec in tertia ejus restitucione, sed post primum enthronismum, Leone August. Im-

A perium gubernante, addita fuerat à Petro, ut docet Theodorus Lector in libro primo, & Theophanes in Chronico, & Cedrenus.

Caput V.

N^Botandum porrò est clausulam illam à Petro Fullone adjectam hymno Trifagio, in orientalibus Ecclesiis perpetuo deinceps usurpatam fuisse à Catholicis fæcilius, licet Constantinopolitanâ Ecclesia, & plerisque Occidentalium, clausulam illam rejecerint. Certè Ephremius Patriarcha Antiochenus, quem Catholicum fuisse constat, adhuc sua aetate passim in omnibus Orientis Ecclesiis clausulam illam cani solitam esse testatur in epistola ad Zenobium Scholasticum; nec ullum dissidium inter Orientales & Occidentales hujus rei causa extitisse, cum Orientales quidem hymnum illum Trifagium ad Christum referrent: Occidentales vero cum referrent ad Trinitatem. Ex quo etiam convincitur falsitas epistolarum quas supra memoravi, Felicis scilicet & Acacii. Nam si Petrus Fullo ob adjectionem illius clausula à Sede Romana & Constantinopolitanâ damnatus fuisset, nunquam profecto appendit illa Trifagii retenta esset ab Orientalibus, nec Constantinopolitanî & reliqui Occidentales communicare deinceps sustinuerint Orientalibus, qui cam clausulam retinebant. Adde quod Avitus Vienensis Episcopus, in epistola ad Gundobadum Burgundionum Regem, clausulam illam: *Qui crucifixus es propter nos, miserere nobis*, ambabus, quod ajunt, ulnis amplectitur, & hereticos censet eos qui illam rejecerint. Quod profecto nunquam ab Avito factum esset, si Petrus Fullo ob ejus clausulæ adjectionem à Felice Papa in Romana Synodo damnatus fuisset. Vixit enim Avitus paulo post tempora Felicis Papæ, Sedi Romana addicctissimus.

DE